Incunabula
Historia
Vitae Pontificum Romanor. bross. 4
Alexander VI. Pont. Max.
Incun. 36.

Catanei Jo. Lucidi: Ad Alexandrum VI. Oratio. habita Romae 1492.

Hain Repert. bibl. N. 4,687.
GW 6217 (Wist. 112)

Io. Lucidi Catanei. v. iu. doctoris Archidiaconi ac Consiliarii Marchionalis Mantuani & oratoris ad Alexandrum. vi. Ponti. maxi. Oratio.

HOdierno die humeris meis honus illud impositum uideo Alexander summe ac meritissime Pontifex: cui non modo meum: uerū etiam uberrima priscorum ingenia uix respōdere possent: presertim cum apud sanctitatē tuam in tam florenti splendidissimoq; consensu sim uerba facturus. Decet enim ut qui arduis de rebus consūmatorum hominum presentia dicturi sunt: ipsi quidē quoq; uel ob promptitudinē ingenii: uel ob eloquentie lacteam & copiosam uim propterea delecti habeantur: & reuera sint maximi. Et si pleriq; (sacro semper ordine circūscripto) grandia ut inquit Hieronimus uerba trutinantes censorio Aristarchi obelisco errores acrius fortassis & acutius iudicent q̃ discernant: quo fit ut etiā qui dexterrime & cōdigno lepore orandi munus obierint: expectatione tamen auditorū ancipitiq; euentu actionis titubantes fere in ordiēda oratione turbentur ac pertimescant: quod summis oratoribus & Philosophis usu aliquādo euenisse compertum est: Nam Theoprastus in Senatu Atheniensi sermonem habiturus obmutuit. L. Crassus paternam ulturus iniuriam nec uerbum quidem emittere potuit. Demosthenis apud Philipum Alexandri patrem idem contigit. Cicero autē pro Milone causam dicturus ita expauit ut magis insipide nunq̃ orauit. Hec igitur mecum repetens qui ueris disertissimis interdum euenere: quid animi esse mihi censes. Cum tam paruo nauigio amplum & horrendum mare ingredi: nisi obtemperādi necessitas quę apud omnes meritam efferre debet excusationem: Et excellens tua benignitas ac pecularis mansuetudo: quam nuperrime in urbe Roma coram ipse de te expertus sum me reficerēt &

p

adhortarentur: quibus potissimum Ducibus & adiutrici-
bus uela uentis securus permittēs: prosperos orationi mee
successus imprecabor. Erit namq; deo immortali annuen
te sermonis origo q illustrissimus Princeps Marchio Mā
tuanū. ut est celsitudinis summorum Pontificum & sacri
Senatus apostolici ac Romane ecclesie obseruandissimus
ita audito iucundissimo nuntio quo intellexit sine certa-
mine & incredibili patrum consensu qbus cure fuit opti-
mum antistitem deligere. Ad sūmum te Pontificatus fa-
stigium diuinitus tanq̄ Aaron electū miranda supra quā
diti possit leticia affectus est adeo ut uniuerso populo in
Rege suo exultante ad non uulgaria gaudii signa excita-
to dies festos egerit & arbitramur creberrimos ignium
splendores & periucundos campanarum omnium no-
strarum tinnitus ceteraq; in sui genere clangores & soni-
tus amenissimos reddentia: ad finitima queq; loca pene-
trasse. Ceterum tante exultationis ratio haberetur ac ut
priuatum mētis sue de te iudicium affectum simul & ob-
seruantiam in sanctam sedem apostolicam testaretur: nos
tres genibus tuis aduolutos ad te ueneran. sanctissimosq;
pedes tuos deosculan. inclytus Princeps noster dominus.
S. fratrem anime dimidium sue Alexandrum Sanseueri
natem nobilissimum: meq; fidelem achatem suum Orato
res transmisit. Iussis itaq; obtemperantes tribus potissimū
rationibus tue denūtiamus maiestati: amabilem deo Prin
cipem nostrum de tuo summo pontificatu mirum inmo
dum letantem: nos ad te misisse. Prima: ut pro uetusto suo
rum progenitorum more & debito recognitionis beatitu
dinem tuam recenter assumptam adoremus ac uenere-
mur. Proxima deinde causa equidem honestissima fuit:
ut notum faciamus neminem aliū hac etate Ponti. maxi
mum designari potuisse cui securiusq; & firmius ouilis
dominici cura crederetur. Nouissima describenda succur
ret ut christiani nominis tutelam tue pietati sponte cur-

renti maiori quo possumus studio commendatam redda mus. Te igitur celestis aule ianitorem eterne uite clauige rum: indubitatum Petri successorem: domini nostri Iesu christi uicarium: patrem uniuersorum fidelium: & eccle sie totius magistrum recognoscimus. Te sanctorum euan geliorum interpretem delictorum errorumq; omnium cul pa & criminum expiatorē simul & emendatorē profite mur. Tibi supremi rerū oīum opificis potestas in terris cō cessa est. Te supra mortalē conditionē honoribus merito prosequuntur non solū Reges & Principes colla submittē tes. uerum etiā Imperateres Augusti apud quos sūma est tēporalis ditionis. Illo enim nomine insignitus es quo te dn̄s Iesus xp̄s ex facundissimo Leonis Pontificis max. san cti dogmate nominari uoluit ut ineffabili munere eterni templi edificationem in beati Petri & successorum sollidi tate consistentem ostenderet. Inquiens: Beatus es Simon Bariona quia caro & sanguis non reuelauit tibi sed pater meus qui est in celis. Et ego dico tibi quia tu es Petrus & super hanc petram edificabo ecclesiā meam & porte in feri (ut uerbis saluatoris inherea) non preualebunt aduer sus eam. Succurrit etiā ueteris testimonii scriptura & Gre gorii uiri nomine & re in eadem potestate ad Maritium epistola qui bus cōprobatur sacerdotē tum angelum tum deū ab ipso gloriosissimo mundi conditore sepenumero appellari. Que si de his qui tibi ministrant ac ueluti mem bra capiti inseruiūt & si eos constitutos super homines & imperia Hieremias ꝓpheta testatur. Si pontificalis hec dignitas Rome quo tempore uana religio uigebat magno in culmine & pretio fuit ut antiqui historiarum codices indicant. Multomagis pontifex eminentissime tua po testas ab uniuersis fidelibus existimanda est cum nō ficta sed uera ac infallibili dei ordinatione tu solus sis qui mini sterio īcōpinabili: ligādi: & soluēdi in terris retines faculta tē erratis nostris salutē īpartiens. Vnde offert se nobis se

cunde transmissionis nostre tam breui sermone percur-
rende: ut fateamur ingenue ad hunc te locum humano
fastigio angustiorem: ad tam insignia Reipu. gubernacula
Alexan. Pont. amplissime: non humano solum: sed diui-
no etiam consilio ueluti saluberrimū sydus prouectum &
sullatum. Sacroq apostolico senatui qui te delegit: ac tue
claritati que demandatum munus subiit plurimum se de
bere constituimus. Verūtamen de tuo summo sacerdotio
aptius dicere nequeo nec ydoneo magis auctore uti q̄ q
indelebilis memorie Calixtus tertius auunculus tibi fuit.
Cuius uita sic prodiit in lucem ut omnibus innotescat q̄
maturum sensum ante annos presetulerit. Quam acu-
tus & memoriosus disputator in solemni Gimnasio cogni
tus fuerit: ut breui doctor ciuilis & pontificii iuris factus:
ipse ceteros palam edocuerit. Quam fidus etiam emi-
nensq Regum consiliarius: in dandis etenim consilus fi-
dem ac religionem: In capiendo prudentiam summam
exhibebat. Quam affabilis ī magistratibus & rectissimus
iudex. Quam deuotus in ecclesia presbyter uigilans epi-
scopus. Quam uerus & prouidus Cardinalis. Quam ca-
tholicus & incorruptus Pontifex maximus: quo factum
est ut cum ob excellentes animi tui dotes & eximia in eū
obseruantia: quibusdam insignibus titulis: Bononie sacris
te canonibus enixe incunbentem decorasset. Postremo
sancte Romane ecclesie Cardinalem creauit. Senatui apo
stolico ascripsit & erexit ī Cardinem columnam que erat
in montem excelsum procedente tempore euasura. Tu
enim pater beatissime qui pontifices mirabili tua animo-
rum scrutatione prouidentia & dexteritate creare cōsue-
uisti: nunc celebri uirtute tua solerti īgenio quo supra om-
nem ceterorum aleam consistis: eximiaq omnes generis
uirtutum dote ad sublime hoc solium iter tibi struxisti. Et
licet plurima sint per que hominibus aditus paratur ad
gloriam. Illud est tamen precipuum quo uiri graues alio-

rum commoda & salutem procurant. Nam nulla re alia propius homines ad deum accedere creditur q̄ iuxta Ciceronis sententiam salutem ipsam hominibus querendo. Nullum quippe genus omisisti p hos annos plurimos quibus celeberrimo Cardinalis officio functus es: cui pro facultate tua & necessitate nō sis opitulatus: & omni studio presto fueris: estus: algoris: inedie: uigiliarum patientissimus. Adeo ut plures etiam calamitosos aut iniuria lacessitos magno siue humili loco natos: innata beneficētia tua & amplissimis meritis ante indictionem Alexandri nomen usurpās reddideris honestatos. Ex apostoli quoq; sententia qui caritatem magna laude ceteris animi bonis preferendam censuit. Multa insuper prudentissime saluberrimis tuis monitis & grauibus consiliis sunt publice sancita & decreta: he te uirtutes ad sumum pōtificatum extulere. he eternitatis uiam tibi apperuerunt nec ad hanc nauiculam Petri regendam que infeliciter submergitur delectus nunc esses: nisi uir omni ex parte probatissimus dinoscereris: cum non temporis memento: sed octo ferme lustris maiora queq; munera & legationes de latere obeundo: sapienter: pie: grauiter: atq; iustissime circa res apostolicas uersatus sis: nil omittēdo qd in his enucleandis foret uel acriter impugnandum uel prouide statuendum. Sententias etiam graues in premeditato sermone in Gorgie Leontini consuetudinem sepissimne discutiens: ita ut ex longiori cogitatione uenisse iudicareris. Regium profecto ac pulcherrimum erat: cernere te semper ingenio presentem grata ac suauissima uocis & oris concinnitate ex Homeri in Nestorem eloquio dulcissime tonantē exquisitis & ornatis uerbis: latino siue materno ideomate nostro resplendentem in subiectu copiosum: causasq; omnes memoriter aperientē. Memoriam enī peropportunū homini bonum precipua gerendorum exercitatione eximiam (ne dixerim) profundam ostendisti. Nam si pro bo

nis ecclesie conseruandis & amplificandis quicquam li-
brandum contingebat ad te ut alterum mitridatem uigin
ti duabus linguis iura reddentem incessabili tempore &
saluberrime acurrebatur. Propterea cum gestis propriis
clarissim9 eluceas: & īfinita ac pene diuina bona tua equo
preconio intonare nequirem: tantomagis quia & si cun-
cta mei corporis membra in linguas uerterētur: omnesqꝫ
artus humana uoce resonarent: ea prout deceret recense-
re: opis mee non esset. Institui non exarare plurima que
de patria tua bellicosissima: & insigni de progenie altaqꝫ
nobilitate & prosapia: stemmata: ac lungum sanguinis or-
dinem concernente decantanda forent quibus adeo in-
caluisti ut que ex illis incrementa hauseris cumulatiora
impendere uolueris. Superest ultimum sermonis mem-
brum explicare. Quod est ut eminentissima necnon ma-
gnificentissima tua dignitas altiores in te enutriat cogita
tus & sicuti preclara in Cardinalatu edidisti facinora. Ita
in Pontificatu maximo sublimius a te quoddam efflagita
mus. Eleua ergo mentem pontifex excelse & preconia
tua iam parta correspondēti certamine supera. Solet nāqꝫ
prouincia Hispanie nobilissima unde tibi origo est inge-
niosos uiros atqꝫ in omni uirtutum colere iucundissimos
producere: quibus arguitur confirmata magis & perspi-
cua apparere inditia promotionem tuam adeo ipsam ce
lebratam ut homo Hispanus excellētioribus nature do-
nis ornatus monarcha christiane religionis crearetur.
Quo adiutorio altissimi & inuictissimi Reges tui hone-
stissimum bellum aduersus Mauros grandi impensa ma-
gnisqꝫ apparatibus gloriosissime perfectum & de hostibus
triumphatum non minori pietati & fortitudine cōtra re
liquos infideles transferatur. Quia tu eo ualidius & con-
stantius rem sis adiuturus quo te preter religionis nostre
causam que tibi precipua esse debet & dulcis amor patrie
ad ipsam te uehementius impellit. Sint ante oculos tot isti

gnes Ciuitates Imperia & regna a seuissimis fidei nostre hostibus praue superstitionis cultoribus cum inenarrabili dedecore nostro & detrimento occupata. Nam & si plerique sanctissimi antecessores tui indesinenter clamauerint immanissimam Paganorum feritatē ut omnes usitato cōprehendam uocabulo ad interiora nostra nisi occurreretur penetraturam: Calixtus tamen siccis nunq̄ oculis nominandus de tuendo regno christi amodum sollicitus: emisso ante apostolatum uoto indictoque sibi diuina inspiratione Calixti nomine tabellis domesticis de manu propria (ut legitur) annotato dum ad inferiores ecclesiasticos ordines gradatim sua probitate deuectus pontificium munus presagiret salutaribus monitionibus excitare uniuersam dei plebem tanto ānixus est opere ut q̄ plurium Germanie & Pannonie populorum crucem domini pro uexillo gestantium auxiliis & suffragiis ceteris inconsulte suis in sedibus quiete manentibus diuino adiutorio maiores ipsorum copie apud Belgradum fuse ac profulgate fuerint. Eratque ei mens firmius uires experiri nisi ipsum immatura mors deprehendisset. Nunc autem non ridiculum non superuacaneum esset cursim reminisci: imo calamitosum est dicere miserrimum audire luctuosissimum intelligere tremendum cernere iamque animus meminisse horret luctuque refugit. Quantum interea uires illorum inualuerint quot prouintie dirrepte & afflicte iaceant. Christianis nephario scelere captiuis trucidatis aut palo transfixis. Fidei uero matronarum uirginum sexus nulla habita ratio. Religiosi uilissime ac inhumanissime tetro supplitii genere ex carnificati memorabilia sanctorū templa presertim Patriarchales sedes & reliqua sacraria polluta atrita fedata & ad nostram derisionem quocunque probri signo Barbarico furore maculata. Et si quid ab infidelibus illesum preseruari uidetur id questus tantum non religionis zelo, ut domini nostri Iesu christi sepulchrum uene

ratu dignissimum nec contenti tantas nobis clades intu-
lisse. ingentem & formidandam classem superioribus stru-
xere diebus ad pernitiem extremumque interitum nostrū
ut neminem lateat proditorie destinatam. Ceterum cum
antiqua uulnera infelicem atrocemque exitum incendia.
Cedes & incommoda deplorare non sit futuro prouidere
discrimini quod imminet Romane ecclesie omnium fide-
lium matri & beatorum apostolorum Petri & Pauli mar-
tirio dedicate. Ideo beatissime pater attolle animo & pa-
storalis officii in hoc & plerisque aliis summam & celerem
exigentibus opem (ut par est) suscipe: ouile saluatoris pa-
sce: dominicum gregem foue: protege: & omni conatu
christianos principes pacificos contine: ne ex discordia
siue iniuria oues christi fideles Barbaris morsibus passim
deuorentur. Pastor enim bonus animam suam ponit pro
ouibus suis. Te opportune rebus admodum fessis exhibe
Auunculi tui piissimi uotum & propositum (ut teneris)
perfice. Manent tibi ingenium & prouidētia maxima in
cunctis agendis modo adsit studium & industria uolun-
tas. Non deficient in tempore precipui suffragatores. Ha-
bes in tua ditione strenuum Imperatoris Turchorum fra-
trem Innocentii octaui Pontificatu. Sed tuo etiam consi-
lio saluberrimo partam: quod inter preclara ueterum mo-
nimenta enumerandum est. Illum si pro Republica chri-
stiana tentandum censuris ocio torpescere non permittas
Memorare queso uariis ipsum insidiis exagitari: & na-
ture procellis suppositum esse. Vniuersi Principes chri-
stiani & populi religionis nostre erunt tibi adiumento in-
cessanti si operam te nauare reuera intellexerint. Cui
pro tua bonitate maxima & uigilantia te minime defu-
turum sibi ipsis non mediocri spe cordibus suis iniecta
repromittunt. Vidisti etiam biennio ab hinc frequentis-
simum super hoc Legatorum conuentum: te subminis-
strante & etiam consulente Rome actum & habitum.

In quo & si pro excellentissimo domino meo agens om-
nibus requisitis promptus suo nomine fuerim. Attamen
ut lucidissimum nostre fidei speculum: denuo in hanc
causam se se ipsum: & suas etiã quantulecunq; sint facul-
tates artes: opida: arma: clientelas: & si quid ultra fata
congessere in manu tua deuotissime ponit. Et maiora re
ipsa quam uerbis se facturum pollicetur. Clarissimus &
enim Marchio noster militari robore insignis ceu belli
fulmen cum ualido pro uirili parte exercitu delectis co-
piis in expeditionem se conferre non dubitauit: ne a suo
& maiorum in sanctam apostolicam sedem instituto ali-
qua ex parte declinare uideatur: qui multis & amplióri-
bus ab illa beneficiis honestati: utpote centuplum pro sim
plo maxime reportantes: adeo eidem semper deditissi-
mi fuere: ut fluctuanti nauicule domi forisq; opem fer-
re ex dubio non cessauerint urgentissimis rationibus que
in iure dominandi animos auertere potuissent postposi-
tis: nam ex ceteris pontifices plurimi ad eos sua benigni-
tate fiducialiter aplicantes perbenigne ac excepti fuere.
Leo Tertius ab urbe discedens Mantuam profectus ad sa
lutandum preciosissimum redemptoris nostri sanguinem
in ara crucis effusum iucundissime suscipitur. Et multa
cum Carolo magno ad quem se contulit tractare tunc nõ
pretermisit. particula nobilissimi cruoris singulari reue-
rentia ad ecclesiam Lateranensem transmissa. Alexan-
der uero Secundus suadente etiam Heinrico Imperatore
tertio: Mantuanum solum ut sedi apostolice obsequentis-
simum delegit. Vbi consilio inito ex sententiaq; solutu:
Cadolo Parmense Episcopo pro antipapa se gerente de-
posito Alexander legitimus & uerus Pontifex fuit decla
ratus. Et Gotofredus uir illustris Mãtue dominus pro eo
bis manum conseruit Cadoli copias aduersantes loco ce-
dere cogens & de hostibus opima spolia referens. Ioan-
nes etiam uigesimus tertius Ioannem Franciscum Gon-

zagam in confederationes sibi asciuit. Ad Ladislai Regie
Vngarie potentissimi exercitum deturbandum: quo aup
ctore Bononia graui bello pressa: cum ingenti hostiũ for-
midine & calamitate liberata extitit. Eoq; tempore Man
tuanos lares bis inuisit. Et ibi pro eodem ex Italia de-
pellendo qui plurima christianitatis ecclesie loca occupa
uerat: conuentum maxime egregium celebrauit. Marti-
nus quintus pater omnium supremus rebus ecclesie com
positis ex constantia Mantuam se contulit. Vbi memorã
dum Philipum Mariam Vicecomitem Mediolani Du-
cem & Pandulphum Malatestam potentissimos non me
diocriter dissedentes ad gratiam composuit: memorato
Ioanne Francisco antedicto in eadem utriusq; adhibito.
Ad hec quoq; exhibet se nobis sãctissimus ille uir religio
ne & scientie non immerito Pius secundus maximus pon
tifex: qui Mantuanum conuẽtum induxit: in quo de com
muni utilitate cõmunibus christianorum consiliis actum
saluberrime fuit. Quantum uero comiter perhumane:
tute: fideliter religiose affluentibus cunctis ad nature ne-
cessitatem Romana curia fuerit suscepta: amplissimũ tue
beatitudinis exigimus testimonium. Nam & si plurimo-
rum qui iucundissimum fere animum nobiscum egere:
memoriam q̃ maxime longam teneamus. Tu tamen pa-
ter sancte nostrorũ pro tempore principum mentibus ita
inhesisti: & presentis herois nostri magnis & precipuis in
nos meritis animo sic insides: ut nominis tui sanctissime
recordatio dignissimum bonitatis & paterne dilectionis
specimen sibi & populis suis in domino prebeat: quo fit
ut cum artioribus uinculis se tibi deuinctum liberrime fa-
teatur. Is cuius iussu ad te profecti sumus uerbis finem fa
cientes: iterum Alexander pontifex summe te in supre-
mum antistitem & unicum ecclesie caput colimus uene-
ramur & adoratu prosequimur ac ut optimo & de omni-
bus benemerito & pro opportuno huius sacratissimi soli

Duci gubernatori colla submittit. Et cum pro coruscanti maiestatis tue celsitudine tum pro ueteri in te obseruan-tia quicquid dignitatis uiriũ cordis ut semel finiam ha-bet Franciscus Marchio Mantue liberaliter & non mi-nus uere q̃ periucũde in arbitrio tue amplitudinis reponi mus & promtissime imperpetuum dedicamus omne per euum. Amen.

Habita Rome coram Alexandro sexto Ponti-fice maximo & sacro apostolico Senatu. Die quinta Nouembris. Mccccclxxxxii.